

*In quo Insula sese exerunt Oestrymides
Laxe jacentes, & metallo divites
Stanni atque plumbi: multa vis hic gentis est,
Superbus animus, efficax solertia,
Negotandi cura jugis omnibus
* Noluque cumbis turbidum late fretum
Et belluosi gurgitem Oceani secant;
Non hi carinas quippe pinu texere
* Facere morem non abiecte, ut usus est,
Curvant * phaselo: sed rei ad miraculum
Navigia junctis semper aptant pellibus,
Corioque vastum sepe percurrunt salum.*

* Non us-
que navi-
bus in No-
tis Pari-
sienfibus.
Lodovi-
cus Non-
nius legit
Nullisque
cymbis.
* Fecerere-
mos. Notæ
Paris.
Nonnius.
Acereve
norunt.
* Phaselos.
Marianus
Scotus.

Cujusmodi etiam in usu erant hoc in pelago
anno Salutis DCCCCXIII. Legimus enim
quosdam viros pios ex Hibernia in carabo (alibi
Caruca) qui ex duobus tantum coriis & dimidio
factus erat in Cornwalliam fuisse delatos. Post-
ea etiam de iisdem insulis idem Avienus:

*Tartefisque in terminos Oestrymidum
Negotandi mos erat, Carthaginis
Etiam colonis.*

Has verò Cassiteridas cæteri Græci à stanno, di-
xerunt, ut & apud Drangos Asiæ, à Stanno lo-
cum quendam CASSITERON vocat Strabo, &
insulam in mari Indico CASSITERAM etiam à
stanno dictam fuisse à Dionysio memorat in Vr-
bibus Stephanus. MICTIN autem illam quam
sex dierum navigatione introrsum à Britannia
abesse, & candidum plumbum proferre à Timæo
scribit Plinius, inter has fuisse vix ausim affir-
mare. Non me tamen latet eruditissimum Her-
molaum Barbarum pro Mictim, Mitterim, in ma-
nuscriptis codicibus legisse, & pro Mitterim, Car-
titerim legere. Quod autem has esse CASSITE-
RIDAS toties quæsitæ dixerim, facit antiquo-
rum autoritas, ipsarumque situs, & Stanni ve-
næ. Artabris (inquit Strabo) quibus Britannia Occi-
dentales partes è regione adjacent, ad Aquilonem opponun-
tur insule, quas Cassiteridas appellant, quodammodo in
Britannico climate constitutæ. Et alibi: Amplius est
mare inter Hispaniam, & Cassiteridas, quam à Cassiteri-
dis ad Britanniam interjectum. Adversus Celtiberiæ latus
spectant Cassiterides, inquit Solinus. Diodorus Si-
culus: In insulis Oceano Ibero proximis, quæ à Stanno
Cassiterides nominantur. Eustathius, Cassiterides insule
decem sunt contiguae ad Arctum. Cùm verò hæ Sillina
Artabris, id est, Gallitiæ in Hispania oppositæ sint,
cum ab illis in Aquilonem ad amussim vergant,
cum in Britannico climate constituentur, cum
Celtiberiæ latus spectent, cum longè ampliori
mari ab Hispania, quam à Britannia disjungan-
tur, cum sint Oceano Ibero proximæ, cum con-
tiguae sint ad Arctum, & melioris notæ tantum-
modo decem numerentur, scilicet, Sanctæ Mariæ,
Annoth, Agnes, Sampson, Silly, Brefar, Rusco, sive Tre-
scaw, S. Helena, S. Martini, Arthur, & quod caput
est, cum stanni venas habeant, ut nullæ aliæ hoc
tractu insulæ: & à fodinis duæ minores Minan-
witham, & Minuissand, nomen duxisse videantur:
malim ego has CASSITERIDAS existimare,
quam vel Afores quæ nimis in Occasum prove-
ctæ sunt, aut Cisargam Hispaniæ proximè quasi
contiguam, cum Olivario, aut ipsam nostram
Britanniam, cum Ortelio, cum Cassiterides
plures erant, & Dionysius Alexandrinus post-
quam de Cassiteridibus egerit, de Britannia seor-
sim agat.

Si quis è numero has esse CASSITERIDAS
inficiatur, cum plures sint quam decem, idem et-
iam Hebudas, & Orcadas numeret, & si rationibus
subductis, nec plures, nec pauciores, quam quin-
que Hebudas, & triginta Orcadas cum Ptole-
mæo invenerit, alio loco quam quo nunc extant,
indaget, & indagando è numero sum ratione
certo scio, haud facile invenerit. Verum priscis
scriptoribus de his eo ævo sejunctissimis orbis
terrarum partibus, & insulis, ut hodie de Freti
Magellanicæ insulis, & Novæ Guineæ tractu, nihil
nobis explore est cognitum.

Quod vero Herodotus has non noverit, neu-
tiquam mirandum est; fatetur enim ipse se pro
comperito nihil habere, quod de Europæ extre-
mis referat. Primum tamen plumbum in Græci-
am hinc delatum erat. Plumbum (inquit Plinius
lib. VII, cap. de rerum inventoribus) è Cassite-
ride insula primus apportavit Midacritus. Sed de
his audi Strabonem libro Geographiæ I I I sub
finem. Cassiterides insule decem sunt numero, vicina in-
vicem, ab Artabrorum portu versus Septentrionem in alto
sita mari. Vnâ earum deserta est, reliqua ab hominibus
incoluntur atras vestes gerentibus, tunicas indutis ad ta-
los usque demissas, cinctis circum pectus, cum baculis am-
bulantibus. Tragicis qui similes furis. Vivunt ii ex pecore,
vagantes incertis sedibus. Metalla habent stanni & plum-
bi, quorum, & pellium loco fictilia, salem & area opera à
mercatoribus recipiunt. Primis temporibus soli Phænices
à Gadibus eò negotiatum iverunt, celantes alios istam na-
vigationem. Cùm autem Romani quendam navis magi-
strum sequerentur, ut & ipsi emporia ista addicerent, is
invidia ductus dedita opera navem suam in vadum
compulit, in eandemque perniciem iis qui insequerentur
conjectis, ipse è naufragio servatus ex arario publico
pretium amissarum mercium recepit. Tamen Romani re-
sepis tentata, navigationem addidicerunt. Deinde
Publius Crassus cum eò navigasset, videretque metalla
non altè effodi, hominesque eos pacis studiosos otio ab-
undante, mari quoque navigando studere, id volenti-
bus commonstravit: quanquam amplius mare navigandum
esset eò quod inde ad Britanniam pertinet. Sed ad Silly.
Insulæ vero hoc nomine insigniuntur, plus minus
centum quadraginta quinque, gramine vestitæ,
aut musco sub viridi tectæ, præter horrentes rupes,
& saxa eminentia innumera, in orbem qua-
si sitæ octo leucis ab extremo Cornwalliæ Pro-
montorio. Frumento nonnullæ satis feraces, cæ-
terum omnes cuniculis, gruibus, cygnis, ardeis,
& marinis avibus abundant. Omnium maxima
est quæ à S. Maria nomen cepit, castrum habet &
præsidium militare. Hæ sunt insule illæ quas Fretum
turbidum duarum aut trium horarum navigatione distin-
guit à Danmoniorum ora, & quarum incolæ custodiunt
morem vetustum. Nundinas & nummum refutant, dant
res & accipiunt, mutationibus potius quam pretiis neces-
saria parant, Deos percolunt, scientiam futurorum pariter
viri, ac femina ostentant, ut habet Solinus Polyhi-
stor. Melanchlanos vocat incolæ Eustathius ex Stra-
bone, quod nigris vestibus ad talos usque demis-
sis induerentur. Vitaque cedunt (ut credidit Sar-
dus) plerumque vita satiati. E rupe enim se projici-
unt in mare scelerioris vitæ spe, quod procul-
dubio Britannicorum Druidum fuit persuasio.
Huc etiam damnatos ad metalla relegare sole-
bant Romani Imperatores. Maximus enim Au-
gustus cum Priscillanum ob hæreticam pravita-

Sulpitius
Severus.

B b b b b b tem